



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 279. De statu, dignitate Cardinalium, ac eorum institutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

dubio est prohibita, etiamsi episcopus velit transferri, vt accipiat retributionem suorum laborum. Nam desiderium recipiendi in retributionem laborum maiores diuitias, & maiorem potestatem, non potest excusari ab auaritia, cum episcopus suis laboribus non debeat quærere lucrum diuitiarum, sed animarum: alioquin non agit vt pastor, sed vt mercenarius.

4. Dicendum secundo: causæ sufficientes ad episcoporum translationem reducuntur ad duas, hoc est ad utilitatem spiritualem ecclesiæ, & ad necessitatem. Primo igitur episcopus potest transferri ab vna ecclesia ad aliam, cum maior utilitas spiritualis secutura est ex eo, quod sit episcopus vnus ecclesiæ, quam alterius, & hæc maior utilitas sine translatione suppleri commodè non potest: si autem potest commodè suppleri, puta eligendo episcopum maioris ecclesiæ aliquem virum insignem, translatio non debet fieri. Ratio est, quia vna ecclesia rationabiliter debet permittere, vt suus episcopus transferatur ad aliam ecclesiam, cum ex hac translatione secutura est maior utilitas animarum; siquidem bonum commune præferendum est particulari.

5. Secunda causa transferendi episcopum, est necessitas, quæ vt docet Innocentius tertius, capite *nisi cum pridem*, oriri potest ex sex capitibus; primo ex conscientia criminis; secundo ex debilitate corporis; tertio ex defectu scientiæ; quarto ex malitia plebis; quinto ex graui scandalo; sexto ex irregularitate personæ; quæ causæ his verbis explicantur.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit. Porro ex his causis aliquæ sufficiunt ad renunciandum simul, & transferendum; aliquæ solum ad renunciandum, non ad transferendum. Videri potest Vasquez disp. 241. cap. 7.

QVÆSTIO CCLXXIX.

De statu, dignitate Cardinalium, ac eorum institutione.

1. **C** Aloiuis libr. 4. institutionum, cap. 7. part. 30. dicit se non legisse ante tempora Gregorij nomen Cardinalis, adeoque insinuat hoc nomen non esse antiquius Gregorio. Sed rejicitur. Nam in Synodo Romana, secunda celebrata sub Syluestro, capite 6. dicitur: *Vt diaconi non essent plus, vel amplius per parochiarum examen, nisi duo, & diaconi Cardinales Urbis Romæ septem &c.* ergo synodus diaconos septem, quos Fabianus per regiones septem ciuitatis constituerat, non solum vocat Cardinales, sed etiam insinuat illos antiquitus hoc nomen appellatos. Quando vocari cœperint hoc nomine, non satis constat. Existimat au-

tem Vasquez tempore Syluestri solos septem diaconos vocatos Cardinales, hoc autem nomen eo tempore nondum presbyteris, & episcopis fuisse accommodatum.

2. Nomen Cardinalis idem significare videtur, ac *præcipuum*, & à quo cœteri pendent, qua ratione præcipuæ virtutes, quæ sub se alias continent, dicuntur Cardinales; præcipui etiam venti Cardinales dicuntur. Supposito hoc, non conueniunt authores in explicando, quare diaconi, presbyteri, & episcopi, ad quos spectat electio Romani Pontificis, dicuntur Cardinales. Onuphrius Panuinus libro de Cardinalium titulis existimat Cardinales dictos, eo quod cum plures essent in eadem ecclesia diaconi, & presbyteri, vnus præerat cæteris, qui proinde dictus est Cardinalis, seu præcipuus. Bellarminus lib. 1. de clericis, cap. 16. refellit hanc opinionem; primo quia in eadem ecclesia aliquando erant plures presbyteri Cardinales, vt patet ex Synodo Gregorij Magni, quæ est in libro 4. registri, cap. 38. alias epist. 44. in qua ponuntur subscriptiones, non solum episcoporum, sed etiam presbyterorum Cardinalium, ac plures sub eodem titulo inueniuntur. Secundo quia iuxta hanc explicationem non potest afferri ratio, ob quam aliqui episcopi dicuntur Cardinales: siquidem non possunt vocari hoc nomine, quia in sua dioecesi præsent alij presbyteris.

3. Leo Nonus epistola contra præsumptiones Michaelis, cap. 32. cum Romanos Pontifices comparasset cardini ianua, quo immobili permanente, ianua vertitur, quia cœteros iudicant, ipsi autem à nemine iudicantur, dicit. *Vnde & clerici eius Cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera mouentur, vicinus adherentes.* Bellarminus rejicit hanc sententiam, quia etiam in alijs ecclesijs erant presbyteri Cardinales dicti, vt patet ex Gregorio lib. 5. epist. 11. alias 111. & lib. 11. epistol. 34. & ex Concilio Vualdensi; sed iuxta hanc explicationem non apparet ratio, cur etiam presbyteri aliarum ecclesiarum dicerentur Cardinales; ergo &c.

4. Turrecremata lib. 1. summæ de ecclesia, cap. 80. m. c. 4. putat Cardinales dictos fuisse diaconos, & presbyteros, quia seuebant ecclesiæ Romanæ, quæ ab Anacleto epist. 3. cap. 4. & refertur Can. *Sacrosancta* 222. dicitur cardo, & caput omnium ecclesiarum. Sed iuxta hanc explicationem omnes diaconi, & presbyteri ecclesiæ romanæ deberent dici Cardinales. Idem Turrecremata docet diaconos, presbyteros, & episcopos dictos fuisse cardinales, quasi præcipuos, probatque ex Canone *Pastorali* 7. quæst. 1. & ex Canone *Relatio*, 21. quæst. 21. eo quod eorum consilio tota ecclesia vniuersalis gubernetur, quam sententiam tradidit quoque Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu ecclesiæ, cap. 16. At S. Gregorius Canonibus citatis videtur aliud nomi-

ne Cardinalium intellexisse.

5. Bellarminus putat illos titulos, seu ecclesias dictas fuisse cardinales, hoc est præcipuas, in quibus conferebatur baptismus; deinde nomen Cardinalis à loco translatum fuisse ad presbyteros, & diaconos, qui illas ecclesias, & diaconias regebant: ac post etiam quodam episcopatus dictos fuisse Cardinales, & episcopos similiter sex, qui ad electionem Pontificis conueniunt, eique sunt à consilijs. Probat autem hanc opinionem ex Concilio Meldensi, Can. 54. & ex Ioanne diacono in vita S. Gregorii, vbi scribit: *Cardinales violenter in Paraclyps ordinatos forensibus in pristinum cardinem Gregorius reuocabat*. At Pater Vasquez disp. 24. cap. 3. putat ex hoc testimonio Ioannis diaconi potius probari ecclesias quasdam primo vocatas cardines, deinde qui illis præerant, dictos fuisse Cardinales. Existimat igitur Vasquez, quod sicut quatuor partes temporis, hoc est vtr, autumnus, æstas, & hiems, à Plinio lib. 18. cap. 25. vocantur cardines temporis; sicut quatuor partes præcipue mundi, nimirum oriens, occidentis, septentrio, & meridies, vocantur cardines mundi; sic septem regiones, in quas diuisa fuit vrbs, vocata fuerunt cardines vrbs, ac septem diaconi illis præpositi dicti sunt regionarii, ac deinde Cardinales; deinde etiam presbyteri, qui ecclesijs, seu titulis erant præfecti, dicti sunt Cardinales; ac postremo episcopi, qui ad electionem Romani Pontificis conueniebant, dicti sunt Cardinales, hoc est præcipui, quia censentur præcipui orbis episcopi.

6. Turrecremata lib. 1. de ecclesia, cap. 80. docet statum Cardinalium fuisse institutum à Christo, & esse antiquiorem statu episcoporum, ac non minus ad hierarchiam ecclesiasticam pertinere, quam statum presbyterorum, & episcoporum. Apostoli nimirum possunt considerari in triplici statu. Primus est, cum Christo ante ascensionem assistebant. Secundus est, cum post ascensionem assistebant Petro Christi Vicario in officio vniuersalis pastoris. Tertius est, cum iuxta præceptum Christi Marci ultimo, *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creature*, separati sunt à Petro; sed Apostolis in primo, & secundo statu successerunt Cardinales, qui debent assistere Romano Pontifici Christi Vicario; eisdem in tertio statu succedunt episcopi, qui à Romano Pontifice mittuntur in varias mundi partes ad regendas ecclesias sibi commissas, vt testantur Anacletus, Canone *In nouo testamento*, & Urbanus Papa Canone *Quorum vices* dist. 28.; ergo sicut status episcoporum, sic status Cardinalium institutus est à Christo; imò prius institutus est status Cardinalium, quam status episcoporum: siquidem Apostoli prius acceperunt munus assistendi Christo, ac Petro, deinde missi in varias mundi partes exercuerunt munus episcoporum. Ideo Paulus ad Ephesios

4. dicit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores*, ac proinde distinguit munus Apostolorum à munere Pastorum, quasi per Apostolos denotare voluerit statum Cardinalium, qui assistunt Romano Pontifici, per Pastores statum episcoporum.

7. Hinc infert primo apostolos prius fuisse Cardinales, quam episcopos.

Infert secundo, quod sicut Petrus prius fuit Papa orbis, quam vrbs Romæ, sic Apostoli prius fuerunt Cardinales orbis, quam vrbs. Tertio infert, quod quia Romanus Pontifex succedit Petro, non solum in munere pastoris, sed in munere apostoli, ideo non solum est Episcopus, sed etiam Cardinalis, ac se ipsum recenset inter Cardinales, vt notat Archidiaconus in Canone *Sacrosancta*, dist. 22. & vocat se non solum episcopum, sed etiam apostolum. Quarto demum concludit Cardinales successisse Apostolis in munere apostolorum, episcopos successisse eisdem in munere pastorum.

8. In hac quæstione, certum est primo Cardinalatum non esse ordinem distinctum ab alijs ordinibus. Probat: nam alioquin ordines essent plures, quam septem. Certum est secundo Cardinalatum neque esse extensionem ordinis, eo pacto, quo episcopatus est quadam extensio ordinis sacerdotalis, vt dictum est quæst. 264. Probat: nam Cardinalatus potest conferri sine vlla ceremonia externa: ordo autem, vel extensio ordinis non potest conferri sine aliqua ceremonia externa. Rursus qui est ordinatus episcopus non potest ita degradari, vt non remaneat episcopus: at Cardinalis potest ita degradari, vt non remaneat Cardinalis; ergo episcopatus imprimat characterem, vel aliquam extensionem characteris, non autem Cardinalatus.

9. Tertio existimo, quod licet apostoli prius fuerint apostoli, quam presbyteri, vel episcopi, tamen non prius fuerunt Cardinales, quam episcopi, vel presbyteri, vt docet Turrecremata. Ratio est, quia Cardinalatus consistit in duobus muneribus. Primum est, vt sint electores Romani Pontificis. Secundum est, vt eidem Pontifici assistant, tanquam consiliarij, ac senatores in regenda ecclesia vniuersali; sed Christus, vt dicitur Luca 6. *cum elegit duodecim, quos & Apostolos nominauit*, non dedit illis munus electorum Romani Pontificis, & consiliariorum ipsius Christi, sed elegit illos, vt instrueret, ac deinde ordinatos presbyteros, & episcopos mitteret ad prædicandum euangelium in vniuersum mundum; ergo &c. Hinc sequitur falsum esse, propriè loquendo, Cardinales successisse apostolis in munere, quod habebant ante passionem, & ascensionem Christi; siquidem Apostoli tunc non fundi fuerunt munere electorum, & consiliariorum Christi. Negari tamen non potest, quin successerint apostolis

stolis in munere assistendi Christo, & eius Vicario.

10. Quarto existimo ab initio in ecclesia Romana non fuisse vllam distinctionem diaconorum, & Presbyterorum Cardinalium à non Cardinalibus. Probat: nam Cardinales sunt diaconi, Presbyteri, & Episcopi, qui habent munera electorum, & consiliatorum Romani Pontificis; sed vt ostendit Bellarminus lib. 1. de Clericis, cap. 16. & ex eo Vasquez disp. 242. cap. 4. ab initio propter paucitatem omnes presbyteri, & diaconi romani vocabantur ad electionem Pontificis, & ad præbendum illi consilium in concilijs provincialibus; ergo &c. Procedente tempore, crescente multitudinæ cleri, ad electionem Pontificis ceperunt vocari soli præcipui diaconi, ac presbyteri, & ad præbendum illi consilium in concilijs provincialibus, & sic diaconi, & presbyteri Cardinales ceperunt distinguui à non Cardinalibus, & sic paulatim constitutus est status Cardinalium. Debet autem aduertiri, quod non solum in ecclesia romana, sed etiam in alijs quibusdam ecclesijs fuerunt sui Cardinales. Videri potest Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 80. Bellarminus lib. 1. de Clericis, cap. 80. & Vasquez disp. 242. cap. 4.

11. Apostolus ad Ephesios 4. distinguit apostolos à Pastoribus, non quia apostoli non essent episcopi, ac pastores, sed quia apostoli ita erant episcopi, vt non essent alligati alicui ciuitati particulari, sed missi ad prædicandum in vniuerso mundo: episcopi autem sunt alligati particularibus ciuitatibus.

12. Turrecremata lib. 1. de ecclesia, cap. 81. videtur docere Cardinales etiam diaconos, & presbyteros in omnibus esse præferendos episcopis non Cardinalibus. Verum Augustinus de Ancona in Summa de ecclesiastica potestate, quæst. 102. art. 2. Bellarminus lib. 1. de clericis cap. 16. Vasquez disp. 242. cap. 5. existimant esse distinguendum. Primo igitur quoad potestatem ordinis episcopus est maior Cardinali non episcopo. Probat: nam episcopus potest ordinare presbyteros, consecrare alios Episcopos, & confirmare baptizatos, quæ Cardinales non episcopi facere non possunt. Ideo Romani Pontifices episcopos vocant *Venerabiles fratres*, Cardinales autem *Dilectos filios*.

13. Secundo maiorem iurisdictionem habet episcopus in suam ecclesiam, quam Cardinalis in suum titulum. Nam Episcopus habet auctoritatem ordinariam in sua diocesi ferendi leges, dispensandi, puniendi, excommunicandi: Cardinalis autem cum in suo titulo sit veluti parochus episcopo subiectus, hæc facere non potest, nisi in quantum Pontifex indulserit.

14. Tertio quoad regimen ecclesiæ vniuersalis Cardinales sunt maiores episcopis non Cardinalibus. Nam episcopi raro solum,

hoc est cum aduocantur ad concilia, assistunt Pontifici in regimine ecclesiæ vniuersalis: at Cardinales assistunt quotidie, ideo quæ episcopi iudicantur, & puniuntur à Cardinalibus, non è conuerso. Hanc autem præcipuam rationem, ob quam Cardinales etiam diaconi præferendi sunt episcopis, afferit Eugenius quartus in epistola ad Archiepiscopum Canthuariensem, quæ est apud Dominicum Iacobatum lib. 1. de concilijs, cap. 12. Confirmat hoc Bellarminus testimonio Bernardi, lib. 4. de consideratione.

15. Opponit primo Caluinus lib. 4. Institutionum, cap. 7. Augustinum epist. 19. ad Hieronymum, vbi dicit: *Quamquam enim secundum honorem vocabula, quæ iam ecclesiæ vsus obtinuit, episcopatus presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.*

Respondetur, quod licet presbyteratus sit minor episcopatu, tamen presbyter Cardinalis, non ratione presbyteratus, sed ratione Cardinalatus est maior episcopo non Cardinali. Sed vrget. Nam Hieronymus erat presbyter romanus, ac Cardinalis. At dicendum contra Caluinum, & contra quosdam Catholicos cum Baronio tom. 4. anno 378. Bellarmino lib. 1. de Clericis, cap. 16. Vasquez disp. 242. cap. 6. Hieronymum fuisse presbyterum non Ecclesiæ Romanæ, sed Antiochenæ, adeoque non fuisse Cardinalem.

16. Opponit secundo: in concilio 4. Carthaginensi, cum duo essent Legati Romani Pontificis, alter episcopus, alter presbyter, presbyter sedit post Episcopos: in Concilio Romano sub Gregorio magno omnes presbyteri sederunt post episcopos; sed omnes, vel plerique presbyteri erant Cardinales; ergo &c.

Respondeo, quod antiquitus presbyteri romani, cum erant Legati Pontificis, sedebant ante omnes episcopos. Patet. Nam in Concilio Nicæno ante omnes episcopos subscripserunt Victor, & Vincentius presbyteri Legati S. Syluestri: In Chalcedonensi sederunt ante episcopos Paschasius, & Lucentius episcopus, & Bonifacius presbyter Legati S. Leonis: in sexta Synodo ante episcopos sederunt Theodorus, & Georgius Presbyteri Legati Agathonis: in septima Synodo, quæ est secunda Nicæna, sederunt primo loco Petrus Archipresbyter S. Petri, & Petrus Abbas S. Sabba, qui neque erant Cardinales; ergo &c. Presbyteri Cardinales videntur sedisse in Concilio Florentino post episcopos: at in Concilio Florentino primi inueniuntur Cardinales etiam non episcopi, ac non Legati, sedisse ante episcopos, & similiter in Tridentino. Duas rationes afferunt Bellarminus, & Vasquez locis citatis, propter quas cum antiquitus Cardinalatus esset gradus ad episcopatum, deinde prælatus sit episcopatus, ita ut episcopatus sit gradus ad Cardinalatum, ac Cardinales etiam in concilijs sedeant supra

Episcopus. Prima est, quia antiquitus electio Romani Pontificis spectabat etiam ad Imperatores, ad Clerum, & ad Populum; deinde cœpit spectare ad solos Cardinales, ac cœperunt eligi in Pontifices soli Cardinales; ergo non est mirum, quod creuerit dignitas Cardinalium, & quod prælati fuerint episcopis. Secunda ratio est, quia Pontifices ad regimen ecclesiæ vniuersalis solebant uti episcopis Italix, quos vocabant ad Concilium nationale: nunc autem cum Concilia rarissime cogantur, vtuntur solum consilio Cardinalium; ergo &c.

QVÆSTIO CCLXXX.

Virum episcopi iure diuino sint ministri omnium Ordinum?

1. **C**ertum est episcopum ita esse ministrum omnium ordinum, vt ex vi suæ ordinationis habeat potestatem conferendi omnes ordines maiores, & minores. Definitum est à Tridentino, in quo scilicet. 23. can. 7. habetur: *Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, esse cum presbyteris communem, anathema sit.* Quæritur, vtum episcopi habeant potestatem ordinandi iure diuino, vel ecclesiastico?

2. Dicendum, quod iure diuino sunt ministri ordinum, qui sunt instituti iure diuino; sed vt dictum est q. 265. omnes ordines etiam minores instituti sunt iure diuino, & sunt sacramentum; ergo episcopi iure diuino sunt ministri omnium ordinum, etiam minorum. Ex opposita ratione solo iure ecclesiastico sunt ministri primæ tonsuræ, quia prima tonsura, vt dictum est q. 265. est ceremonia quædam iure ecclesiastico instituta, atque in sententia eorum, qui dicunt aliquos ordines esse solum de iure ecclesiastico, dicendum est, quod episcopi iure ecclesiastico sunt ministri aliorum ordinum.

QVÆSTIO CCLXXXI.

Virum episcopi etiam hæretici, excommunicati, suspensi, ac degradati habeant potestatem validè conferendi ordines?

1. **D**icendum, quod episcopi excommunicati, hæretici, ac suspensi, dummodo adhibeant debitam materiam, & formam, & habeant debitam intentionem, validè conferunt ordines, & in hac conclusione conueniunt omnes cum S. Thoma in 4. distinct. 25. quæst. 4. art. 2. Ratio est; quia cum minister sufficiens ponit materiam, & formam suffi-

cientem ex debita intentione, efficitur sacramentum, nec ecclesia potest impedire, ne positus his, efficiatur sacramentum, eo pacto, quo non potest impedire, ne sacerdos proferens verba consecrationis cum debita intentione, in materiam sufficientem, efficiat Eucharistiam; sed sicut sacerdos est sufficiens minister Eucharistiæ, sic episcopus est sufficiens minister ordinis; ergo sicut sacerdos etiam excommunicatus, suspensus, & hæreticus validè consecrat, sic episcopus etiam excommunicatus, suspensus, & hæreticus validè ordinat, dummodo ponat debitam materiam, & formam &c.

2. **O**pponitur primo. Potest ecclesia facere, ne sacerdos excommunicatus &c. validè absoluat, & ne validè efficiat sacramentum pœnitentiæ; ergo potest facere, ne episcopus excommunicatus &c. validè conferat sacramentum ordinis.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia cum sacramentum pœnitentiæ sit institutum per modum iudicii, absolutio est actus iurisdictionis, ideoque minister absolutionis est sacerdos, non vtrumque, sed vt habens iurisdictionem completam in pœnitentem; ergo ecclesia auferens, vel non dans iurisdictionem, potest impedire, ne sacerdos sit sufficiens minister, adeoque ne absolutio sit valida. At cætera sacramenta baptismi, confirmationis, eucharistiæ, extremæ vnctionis, & ordinis non sunt instituta per modum iudicii, nec formæ ipsorum sunt actus iurisdictionis, adeoque pendent solum à potestate ordinis; ergo si minister habeat potestatem ordinis, ecclesia non potest impedire, ne minister faciat sacramentum validum, si ponat debitam formam &c.

3. **O**pponitur secundo; Innocentius primus epist. 18. ad Alexandrum episcopum, cap. 3. dicit arrianos, & alios hæreticos laicos conuersos ad fidem recipiendos esse per pœnitentiam, & per impositionem manuum, non tamen clericos ab eis ordinatos esse recipiendos in sacerdotio, vel in alio gradu clericali; ergo existimat ordinatos ab hæreticis non esse ritè ordinatos.

Respondeo, quod Innocentius non negat ordinatos ab hæreticis esse ritè ordinatos, sed solum statuit, ne cum ecclesiæ reconciliantur, admittantur ad exercenda officia sacrorum ordinum, quandoquidem licet receperint illos validè, non receperunt Spiritum sanctum, & gratiam, ideoque censentur indigni, vt exerceant officia ordinum. Colligitur hoc ex verbis Innocentij, qui dicit; *Quomodo fieri potest, vt eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, vt dixi, ad S. Spiritus recipendam gratiam cum penitentis imagine recipimus.*

4. **O**pponitur tertio; S. Leo epist. 38. ad Anatholium, & refertur can. in Ecclesia dicit: *In ecclesia Dei, qua corpus Christi est, aliter nec vera sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostris*

pro-